644. m. 19 4

SATYRÆ QUATUOR.

19

Auctore *D. G.*

K.

LONDINI

Excudebat J. HUGHS ad insignia Regia in vico vulgo dicto *Holbourn*, A. D. M.DCC.XXXV.

SATYRÆ

QUATUOR.

Augore D. G.

SATYRA PRIMA.

Scribimus indocti doctique poëmata passim. Hor.

QUantum possideat quivis, cognoscere ferme
Non melius, quam qui possidet ipse, solet.
Nec male frumenti modios jam messe peracta
Rusticus enumerat, nec male pastor oves:
Nec, cui decedens genitor quingenta reliquit,
Bis numerans eadem, mille relicta putat.
Quas tractare manu, rebus, quas cernere possis,
His plerumque minor scilicet error inest.
Ast animi, quæ non oculis manibusque tenentur,
Haud pariter domino sunt bona nota suo.
Vix ulli res magna satis, sed mentis abunde est
Omnibus: ingenii nemo videtur inops.
Difficilis res est ingentia rura parare,
Difficile est altas tollere ad astra domos.
Consilio facile est urbes populosque tueri:
Et quodvis quivis munus obire potest.
Nulla tamen pejus Doctorum gente videtur
Ipsa facultates enumerare suas.

Raros deme nimis timidos, paucoſque modeſtos,
Qui pede metiri ſe didicere ſuo;
Quod ſupereſt docti generis, ſtolidiſſima turba eſt,
Quamque ſuo, nullo nomine digna minus.
Cujus quis primum limen vix attigit artis,
Ponet in hac primo ſe miſer ipſe loco.
Nec cunctos præ ſe dubitabit temnere, vitæ
Rebus in his ſummam qui poſuere ſuæ.
Ferri utcunque tamen poterant, ſi vana putandi
Contenta, & fandi gloria fine foret.
Scribere feſtinant: conantur ſcribere ſtulti
Ecce prius, recte quam bene ſcripta legunt.
Hic male conceptum fidens propellit abortum
Pauperis ingenii, jam pater ante diem.
Ille ignota ſibi conquirit plauſtra librorum:
Nec curæ caput eſt tangere, cauda placet.
Intus quid lateat, ſollerter ab indice quærit:
Et male corraſum denique confit opus.
Quas alii teneant artes, queis futile quidvis
Obtrudant vulgo, longa referre mora eſt.
Sic miſeras maculant magno certamine chartas:
Quilibet hoc, numero ne ſuperetur, agit.
Inque ſuo, liquida quondam ut Narciſſus in unda,
Mirantur vomitu ſe, geniumque ſuum.
Hic famam captat demens, nomenque ſuperbum:
Hic ſpe magnificæ conditionis hiat.
Denique ſunt, qui pro mercede volumina ructent,
Et quibus apportet pagina quæque ſtipem.
Nec male ſubductis omnes rationibus errant:
Nec ſpes hos ſemper fallit, iniqua licet.
Sis licet indoctus, vappaque inſulſior omni,
Qui te miretur, ſtultior alter erit.

Hæc aliquis cernens, facile indignantia ſolvat,
Stultitiæ impatiens, talibus ora modis.
Mille ſimul molli formas impingere chartæ
Qui docuit, melius non docuiſſe fuit.
Chœrilus unus erat ridendi carminis auctor
Quondam: nunc vicus Chœrilon omnis habet.
Si quis homo priſcus ſuperorum regna reviſens,
Tollat ab inferno nunc Acheronte caput;
Quantum miretur, quarum ſub pondere, nugas,
Plurima jam paſſim bibliotheca gemit!
Olim, digna legi qui poſſet ſcribere, docto
Non unus domino ſervus habendus erat.
Pagina nunc quam longa uno deſcribitur ictu,
Ad quam vix calamo ſufficit una dies.
Vulgantur viles, ſimili quia nempe parantur
(Sic pretium pretio carpitur) ære, libri.
Non ego vos fœdæ, non vos immiſceo turbæ
(Parcite) laudandi, nomina clara, viri.
Non adeo Rerum eſt huc uſque effœta ſenectus,
Ut nihil egregium ſecula noſtra ferant.
Veſtra perennabunt cedro lita ſcripta: jacebunt
Iſtorum tineis pabula digna logi.
Te ſimul excipimus, qui ſuſpicione maligna
Te noſtro tactum carmine forte putas.
Nos non excipimus: tu vati ignoſce coacto,
Quod non facturus, ſi licuiſſet, erat.

SATYRA II.

FAMA.

SI quiſquam eſt, cujus, de ſe quid quiſque loquatur,
Nil refert, famam rideat ille licet:
Atque omnes ſupra poſitus, ſuffragia quævis,
Judicio tutus, negligat, ipſe ſuo.
Sed quis is eſt inter bene ſanos? Nemo profecto:
Non illa nati conditione ſumus.
Mirus amor famæ mortales, mira cupido,
Nec paucos plus quam ſana cupido, tenet.
In tantum, ut fuerint, qui, ſi fas credere, dirum,
Quam nullum, vellent nomen habere prius.
De ſeptem quondam qui ſex miracula fecit
Sacrilegus, voluit ſemper in orbe legi.
Atticus ille, hominum genus omne odiſſe profeſſus,
Nomine mirifico nempe ſuperbus erat.
Quis numeret cunctos, qui quæſivere vel armis,
Vel famam ingenio continuare ſuam?
Et nullos unquam ſubterfugere labores,
Non ipſam veriti, laudis amore, necem?

Attamen huc non quiſque via pervenit eadem :
Artibus ille bonis, artibus ille malis.
Laudamus patriam qui defendere, bonoſve
Militia ſocios aſſeruere pia.
His male Dî faciant merito, quicunque priores
Impia moverunt, impia bella movent.
Cantatus Macedo, cantandus ſemper in orbe,
Qua potuit tantum re meruiſſe decus ?
Quod, lupus humano generi, ſua jura quibuſvis
Gentibus eripuit per ſcelus, atque nefas ?
Quod ferus innocuo, monſtro truculentior omni,
Non numerandorum ſanguine tinxit humum ?
Denique quod, famæ furiis agitatus, in omni
Se voluit ſolum, qua patet, orbe coli ?
Non odio Timon, non flamma Heroſtratus ipſe,
Crede mihi, tantum commeruere mali.
Sed latrociniis merces ſtultiſſima magnis
Gloria, crux parvis ſemper acuta fuit.
Tantaque mortales tenuit dementia cæcos,
Ut ſummo ſceleri maximus eſſet honos.
Nec ſtudiis omnes paribus ſunt nomen adepti,
Ingenio nomen qui peperere ſibi.
Utilibus quotquot celebrantur, præmia laudem,
Si quid id eſt, etiam poſt ſua fata ferant.
Qui latis primi fecerunt legibus olim,
Res ut cuique ſuæ, vitaque tuta foret.
Juſtitia populos & relligione volentes,
Et veri, quiſquis rexit, amore patris.
Quorum conſiliis, non armis, publica crevit
Res, aut in dubio tempore ſalva ſtetit.
Qui diſciplinis ſublimi mente repertis,
Sive auctis, animos excoluere rudes :

Aut adjuverunt ſollertes artibus ullis,
Pro genio, vitæ commoda, quiſque ſuo.
Ingenioſorum contra male jure carebit
Omnes ſemper apud nomen honore bonos.
Qui patriæ, primi rerum cum frena tenerent,
Artibus infandis impoſuere jugum.
Et quiſquis voluit communi creſcere damno,
Privataſve dolis amplificavit opes.
Vel qui, conſiliis aulæ moderator, abuſus
Ad fraudem eſt domini credulitate ſui.
Denique commentis mores pervertere diris
Aggreſſi, & ſuperûm pellere corde metum.
Nobilitata horum male factis nomina multo
In tenebris melius delituiſſe fuit :
Aut modica vitam contentos degere fama
Suſtinuiſſe, ſatis quam licet eſſe bonis.
Fama opus eſt cuivis, merito re carior omni,
Et ſine qua nulli vivere ſuave foret.
Ut namque auxilio ſociatæ ad commoda vitæ,
Sic ſenſu alterius nemo carere poteſt.
Immortale decus paucis, primiſque bonorum
Contigit : æternum vivere rarus honos.
Non ſpernenda tamen reliqui ſolatia famæ
Vel minus illuſtris, vel brevioris, habent ;
Quod vivi longe minus exhauſere laborum,
Defunctique pari conditione jacent.

SATYRA TERTIA.

Utere ſorte tua.

ADverſam quereris fortunam, ſtulte? beatum
Fac modo te credas eſſe, beatus eris.
Audio quid regeras: Qua me ratione beatum
Eſſe putem, miſerum quem ſatis eſſe ſcio?
Sed ſi jam quæram, num mens in corpore ſano
Sana tibi non eſt forſan? utrumque neges.
An tibi quod comedas, an veſtis defit egenti?
An frigus pateris forte, famemque? neges.
Ecquid feciſti? Commiſiſtine, timenda
Cur tibi ſint hominum jura, Deûmve? neges.
Cur ergo miſer es? quia non habeo, quod habere,
Nec ſum (num parva eſt cauſa) quod eſſe volo.
Cur alium video medios ſe ferre potentem
Per cives opibus, muneribuſque ſuis?
Non meritis, non ille loco, re denique nulla
Me potior, nummis eſt, & honore, prior.
Non equidem eſurio: ſed diſpenſanda minutas
Attento in partes ſunt nimis æra mihi.
Dic mihi, quis te res iſtas optare coëgit?
Cur vis, o demens, eſſe, quod eſſe nequis?

Invidia ſuperos oneras, injuſtaque fata
Ipſa vocas : quam non cum ratione, vide.
Enumera cunctos ubivis : turbamque videbis
Longe majorem ſemper habere minus.
Quis te Divorum, vel quæ Fortuna, minori
Debuit in numero ponere jure tuo ?
Tu vero ingratus : nam plerorumque profecto
Conditio inferior conditione tua eſt.
Nec tamen, ut cenſu reliquos, vel honoribus, anteit,
Sic & præ reliquis quiſque beatus erit.
Magnæ cura rei major : tantoque minora
Damna feres, quanto res tibi curta magis.
Eſt quoque prolixis facile in rationibus error,
Queis male ſubductis, Crœſus egere queat.
Multi non reputant, quanti ſit quæque voluptas,
Pluſque amplectuntur, quam retinere valent.
Huic genus adverſum eſt, diverſa ſorte creatum,
Quam non invideas, ſed miſerere magis.
Nam, quaſi nil habeant, miſeris, & ſemper egenis,
Tantum propter opes accumulantur opes.
Tertia gens illa eſt, quorum effrenatus habendi
Amplius in tantum pectora vexat amor,
Ut dubia incerti vix ulla ſit alea lucri,
In quam non properent mittere quicquid habent.
Pauci adeo, queis verus opum conceditur uſus.
Sed neque ſic cunctis ſunt potiore loco.
Cui minus eſt, curæ minus ; & quod dives, habebit,
Quæ pluris conſtant, ni meliora putet :
Et ſi animum inducat quædam contemnere, non tam
Commoda quæ domino, quam ſpecioſa, ſuo.
Sed non conſpiceris, ſed non monſtraris : & iſtum,
Qui tibi debetur, conſpicis ire loco.

Nec

Nec vitam, aut mortem, tua dat ſententia nobis,
Nec placidam pacem, nec fera bella facit.
Eſt opus Anticyra tibi jam, vel ſanguine miſſo:
Siccine, quæ fulgent, aurea cuncta putas?
Si, qua te ſubiti replerent munera regni,
Lætitia reges perfruerentur ea;
Ecquid honoratis uſquam felicius eſſet?
Jam nimium ſors hæc invidioſa foret.
Sed quævis uſus, quoque gaudia, deterit: uſu
Omnia vileſcunt: tempore vilis honos.
Et tamen hunc ipſum multo ſectere labore:
Et, cum jam teneas, vix retinere queas:
Et nimis inſuavem ſæpe experiare gerendo.
Non aliud regno eſt, credito, majus onus.
Si magnis tantum felicibus eſſe dediſſent,
In jus nonnullo fata colore voces.
Nunc gravibus curis, & ſollicitudine penſant,
Si quis divitiis, ſi quis honore, potens.
Non rex, non dives, non nobilis; ille beatus,
Et pulcro ſolus nomine dignus erit,
Quem ſuperi firmo voluerunt corpore naſci,
Et lætum rebus queiſlibet eſſe ſuis.
Quod ſatis eſt, cui non ſatis eſt, nil ſufficit unquam:
Immenſa eſt, nec habet ſtulta cupido modum.
Sic Deus, ut nunc dat, mihi det nullius egere,
Sic mihi, contentum vivere velle meo;
Ut tu, quem limis ſpectas ſi attingere poſſis,
Ni quoque prætereas, irrequietus eris.
Quæris quod ſatis eſt, & habes: quod deeſſe negabas,
Et quod non quæris, mens tibi ſana deeſt.
Utere ſorte tua, ac tandem ſapere incipe: nemo
Infelix, niſi qui ſe putat, eſſe poteſt.

SATYRA

SATYRA QUARTA.

Futurum quære, nec quære.

ANte pedes, quæ ſunt, quivis videt: illa videre,
Quæ procul adveniunt, eſt ſapientis opus.
Namque quid eſt aliud, quam conjectura futuri,
Quo quis prudentis nomen habere ſolet?
Aufer judicium, de rebus rite ferendum,
Cernere quas homini non niſi mente datur;
Abſtuleris pariter vitæ lucemque, ducemque:
Jam fuerit brutæ conditionis homo.
Bos, quantum eſt nactus, tantum & conſumere gaudet,
Nulla, non hyemis, non ratione famis.
Nil metuens piſcis ludentem devorat eſcam,
Condita nec ſimplex cogitat æra cibis.
Humano contra generi mens provida rerum,
Et præſaga boni contigit, atque mali.
Nec recte privata regi, nec publica ſtare
Res ſine venturi cognitione poteſt.
Quid terimus ſtulti veterum monumenta virorum,
Durat & a teneris cur ſine fine labos,

Si fruſtra capitur? ſi non documenta futuri
Nobis, quæ dudum præteriere, dabunt?
Nil credas ſub ſole novum: quæ priſca tulerunt
Tempora, temporibus ſunt reditura tuis.
Eventus ſimiles cauſas per cuncta ſequentur
Secula conſimiles: quod fuit, illud erit.
Attamen haud ulli, quantumvis cernat acutum,
Conceſſit liquido cuncta videre Deus.
Quin etiam perſpecta ſatis fallacia ſæpe
Non divinandis caſibus eſſe jubet.
Ne ſe mortalis ſtolido prudentia faſtu
Numinis auxilio poſſe carere putet.
Scilicet officii noſtri decrevit ut eſſet
Quærere, ſervavit ſcire futura ſibi.
Sed multa involvit tenebris, ac nocte profunda,
Nullius ingenio conjicienda magi.
Hæc & veſtigare nefas, & inutile noſſe eſt:
Quæ vetita, eſt eadem noxia cura ſimul.
Nunquam quæſieris, maneant quæ gaudia, qui te
Luctus: nec vitæ tempora ſcire velis.
Aut operam perdes, aut ſi cognoſcere detur,
Forte mala haud paulo, quam bona plura ſcies.
At procul aſpiciens venientia damna dolebis
Ocius, infelix, & miſer, ante diem.
Ni Thetis ad Trojam periturum ſciſſet Achillem,
Fleviſſet natum ſerius illa ſuum.
Amittes vitæ fructum: proſperrima quævis
Pectus non poterunt exhilarare tuum.
Quid tibi lætitiæ, Cæſar, vel quinque triumphi,
Patria vel bello capta datura fuit;
Si, quæ funeſtis venerunt Idibus, olim
Pythia credenti vaticinata foret?

Sed longe fatuos inter ſtultiſſimus omnes,
Supremum quærit qui ſibi noſſe diem.
Fac tibi Nelidæ prædicere ſecula vatem :
Num te felicem vivere poſſe putas ?
Annos, & menſes, ſoles numerabis, & horas,
Cum fuerit vitæ meta propinqua tuæ.
Non aliter, quam carnificem qui tempore dicto
Exſpectat, fati præſcius ipſe ſui.
Ille tamen paucis, aut uno concidit ictu :
Eſt fatale tibi forte, perire diu.
Sperare utilius multo, quam ſcire, futura eſt :
Dimidium voti, qui bene ſperat, habet.
Deficiens ætate ſenex, dulcedine vitæ,
Sed tria confecit ſecula Neſtor, ait.
Quos urget ſuperantis opem vis ultima morbi,
Affectos pariter convaluiſſe putant.
Suſtentat ſeſe exemplis, animumque labantem
Firmat, quem nimium ſors inimica premit.
Qui melius veſtræ, miſerum genus, inſipienſque,
Stultitiæ poterat conſuluiſſe Deus ?
Spem dedit incertam, pro cognitione, futuri :
Optima cujuſvis ſpes medicina mali.
Solis fida bonis. Scelerati conſcia facti
Fluctuat, aſſiduo mens agitata metu :
Dum male celatis jam dudum debita furtis
Indicia, & pœnas proſpicit ipſa ſuas.
Fac, nihil ut merito timeas : ſolique relinque,
Quæ te ſcire nefas, noſſe futura Deo.

FINIS.